0818
Lane Medical Library

DE

CHOREA ST. VITI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. MARTII A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS DE KOENIGSLOEW

SURINAMENSIS.

OPPONENTIBUS:

MITTMANN, med. et chir. Dr.

REUTER, med. et chir. Dr.

DE QUINTO CAECILIO, Stud. philos.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0167

DAN. SIGISM. DE KÖNIGSLÖW

PATRI SUO DILECTISSIMO

MAXIMEQUE VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quamquam vetustissimi jam auctores maximam nervorum morbis operam navarunt, hi tamen usque ad hoc saeculum, disquisitionum difficultatis causa, nonnisi hypothesibus explicantur. Nec mirum, quod sententiae variae de convulsionibus, nervorumque morborum natura exstant, si consideraveris, nos nisi physiologiae cognitione symptomata diversa, quibus abundant, explicare non posse.

Medicinae historia nos docet, quantopere auctorum opiniones hac in re dissentiant. Hippocrates scilicet ex mutata vi vitali, Galenus e spiritu interno, Baglivius ex atonia et relaxatione, Boerhave, Haller et alii e succi nervei vitiosa conditione, Reil ex anomalia formae et mixtionis fibrae nerveae, alii e processu magnetico aut galvanico naturam deduxerunt.

Non possum autem, quin hoc loco merita magna Bellii commemorem, qui nervorum spinalium radices anteriores motui, posteriores sensui praeesse docuit, qua de re M. Hall dicit: »Observationes praestantissimae, quae viro magno immortalitatem vindicant.« Experimenta a viris maxime meritis postea instituta, e quibus tantum nomino Ill. Muellerum, Panizzam, observationem hanc quovis modo comprobarunt.

Quod attinet morbum, quem dissertationis materiam elegi, definitio generalis aeque difficilis est et fortasse semper imperfecta manebit. Ex multis nominibus elucet, quibus variis formis morbus describendus apparere possit.

Vulgo chorea nominatur, sed etiam chorea St. Joannis, ballismus, choreomania (Plouc-quet), epilepsia saltatoria (Becker), syphita (T. Paracelso), scelotyrbe (Galeno), morbus gesticulatorius (Frank), synclonus chorea (Mason Good), orchestromania, hieranosis, motus involuntarius (Schäffer).

Choreae species quatuor distinguuntur, nempe:

1°. Inquies musculorum seu hysteria muscularis (Schoenlein).

2°. Chorea St. Viti.

3°. Chorea St. Viti pandemia et morbi imitatorii.

4°. Tarantismus.

INQUIES MUSCULORUM.

Hic morbus, etiam nomine Choreae St. Viti minor aut hysteria muscularis notus, paullatim sese evolvit, nonnumquam symptomata digestionis laesae, anorexia, retentio alvi, saepius laxitas, animi distractio, irritabilitas psychica anteeunt. Motus alieni deinde observantur. Systema musculorum partim voluntatis imperio non obtemperat. Quicunque conatus partem laborantem movendi, statim inquietem involuntariam in ea provocat. Nonnunquam partes unius lateris agitantur, alterius vero partes salvae sunt; interim utriusque lateris etiam partes convulsionibus affectae esse possunt.

Si somnus accedit, non raro inquies dece-

dit. Post convivium, iram et terrorem inquies crescit.

Secundum Romberg extremitates inferiores nunquam, superiores saepius solae affectae sunt; musculi actus respiratorios clarissimus auctor morbo non correptos, etiam contractiones cordis acceleratas nondum vidit. Manus per varias directiones celeritate vix credibili continuo agitantur, iisque vel aër, vel certa quaedam corporis pars ictibus inanibus verberatur, vel modum volantium, natantium etc. imitantur.

Si quid manu prehendunt aegroti, e. g. poculum, saepe hoc aut subvertunt et contenta ejus effundunt, aut non nisi cum variis manuum agitationibus, semper lineam curvam describentibus, ori admovent et tum liquorem subito infundunt, unde manus nonnunquam voluntati, etsi aegre, parere colligi potest.

CHOREA ST. VITI.

Opposito illo morbo, quem proxime descripsi, hic chorea St. Viti major dictus est.

Haec species non est inquies musculorum continua, sed epilepsia atque eclampsia intermissione quadam apparet. Conditio aegrotorum in intermissionibus illi epilepticorum non dissimilis est.

Dolores capitis, anxietatem, inquietem, morbositatem, irritabilitatem, nocturnumque somnum inquietum accusant. Singuli paroxysmi etiam sunt ad modum epilepsiae, modo tetano similes modo opisthotono.

Aegroti saltant, reptant, natant, animalium diversorum vocem imitantur. Interim continue procursant (Laufkrampf), aut in orbem circumaguntur (Chorea rotatoria).

Etiam post paroxysmos vehementes aegroti non fatigantur.

Paroxysmi tam nocturni quam diuturni esse possunt.

Intellectus mediocriter tantum mutatus videtur; quam mutationem pro complicatione potius quam symptomate pathognomonico choreae haberi oportet.

Organismus ipse chorea simplici nunquam gravius offenditur, febris nunquam exoritur.

Morbi acuti, uti scarlatina, morbilli, pneumonia, peritonitis, nunquam neque moram, neque vim choreae diminuunt, sed decursus periculosioris morbi acuti, si ad choream illam accedit, maxime commutatur.

Choream generatim dolores graves non comitantur; quodsi nonnulli scriptores dolores capitis, nec minus articulorum, affectiones spasmodicas et dolorificas ventriculi minime negant, dolorum sedem atque naturam non satis clare distinguunt, ita ut eos potius secundarios ex aliis morbis prodeuntes putemus.

Animadvertendum est, singulos, quod non raro evenit, auris musculos, qui exercitatione nonnisi assidua ab hominibus sanis moveri possunt, agitari.

CHOREA ST. VITI PANDEMIA ET MORBI IMITATORII.

Chorea pandemia non raro choreae speciei

majoris instar apparet. Hic est morbus, cui a multis auctoribus multa nomina data, quae jam memoravimus, uti chorea St. Joannis etc.

Chorea pandemia statim post mortem nigram anno 1374—1418 in forma vehementissima, eodem tempore Aquisgrani, Divoduri, Argentorati etc. apparebat.

Plurimas horas aegroti (saltatorum numero non raro fraudatoribus permultis aucto) saltant, capite coronato, abdomine constricto. Deinde queruntur et suspirant, ut abdomen melius constringatur, quod fit meteorismi causa.

Saltantes aegroti auxilium St. Joannis advocabant et in templo huic sancto consecrato curabantur.

Morborum imitatoriorum multae species huc referri possunt, ut: «dance de St. Guy, Lycanthropia, febris saltatoria (Leaping Ague), morbus imitatorius nomine Kindfahrten notus etc.

Tales convulsiones epidemiae observatae sunt a Robertson in Tenessee et Kentucky, a Cornisch anno 1814 in Cornwall, ab Al-

bers in Bohnhorst, ab J. Kerner in Neuhutten, a Vonand anno 1825 — 28 in Valle Tux comitatu in Tyrolensi. In orphanotropheis quibusdam malum etiam conspectum est a Boerhavio, Moscati et auctoribus aliis.

TARANTISMUS.

Scriptores quidam hujus aetatis illum morbum negare voluerunt.

Attamen in parte meridionali regni Neapolitani (in Apulia) symptomata intoxicationis tarantularum veneno observantur.

Matthiolus tarantismumita descripsit: »Icti »a tarantulis non solum alii perpetuo canunt, alii »rident, alii plorant, alii clamitant; sed et quod »praecipue mirum, veneni hujus vis musica mul»cetur.

»Quando quidem auditis lyricis instrumen»tis, per tibiarum sonum primo statim occursu »icti a tarantula a plangoribus cessant et in »medium tripudiare et saltare incipiunt, tamque »diu rem persequuntur, ac si sani essent et nullo

»usquam tenerentur dolore. Quodsi eveniat, ut »tibicines tantillum quiescant, non multo post tem»pore in terram conciduut et ad pristinos redeunt »languores, nisi tam diu in deficiente sonitu sa»liant atque tripudient, donec venenum partim »insensibiliter per cutis meatus, partim per su»dorem exeat et discutiatur. Ob id igitur tibicines »stipendio conducuntur alternatimque mutantur, ut »absque ulla sonitus intermissione tam diu de»morsi, quousque penitus curati conquiescant.«

Malum in omnibus aetatis temporibus videri potest. Salvatore di Renzi narrat de infante trimestri; Epiphanius Ferdinandus de sene nonagesimum quartum annum agente.

Etiam animalia a tarantula icta tarantismo corripiuntur.

Tarantula, ab Aristotele *Φαλάγγιον* dicta, pertinet ad familiam aranoidearum; magnitudine muscae et majore, colore diverso (sunt enim quaedam nigrae, flavae, rubrae, cinereae etc.); oculos octo, maxillas quatuor ac rostrum habet. Cfr. ceterum de hoc morbo Sennerti Opera

et Heckeri: Die Tanzwuth, eine Krankheit im Mittelalter.

DE CHOREAE SEDE.

Uti omnium fere systematis nervosi morborum, ita quoque Choreae sedes et natura plane incognitae sunt.

Chorea rarissime lethalis est et hic exitus nisi malo ipso per longius temporis spatium protracto, post alienationem organicam secundariam incidit. Brown, Coxe, Willan, Patterson, alii invenerunt hyperaemiam cerebri cum exsudato seroso, Cruikshank pseudomembranas in dura matre, Fargnes ossificationes piae matris, Georget et Andral tubercula in cerebro, praeterea Monod in duobus casibus hypertrophiam substantiae corticalis cerebri et medullae spinalis; porro Rob. Froriep in duobus casibus intumescentiam morbosam processus odontoidei et compressionem medullae spinalis. Nonnulli, ut Rufz, Blancke, Dugès, Ollivier d'Angers, nihil repererunt.

Destituti quidem rebus in facto positis, quae quaestionem nostram dilucidare possint, quantum ad functiones singulorum centrorum systematis nervosi spectat, accuratius in has functiones inquireremus, nisi nostra de hac re notitia tam parum esset perfecta, ut sine fallaciis argumentari nequeamus. Si enim disquisitionibus physiologicis certiores redderemus de parte systematis centralis motum efficiente, sedem cognosceremus morbi, qui irregularitate motuum se manifestat; at physiologia usque ad hoc tempus nodum nondum solvit. Novimus, tantum sensibilitatem quidem nunquam alienatam, motum reflexum autem semper auctum esse.

AETIOLOGIA.

Chorea nunquam morbus hereditarius, sed semper acquisitus. Constitutio nervosa parentum saepe infantibus systema nervosum irritabile indidit, ex quo seriore tempore hysteria nascitur, quae in infantibus choreae formam induit. Praecipue sexus sequior huic malo favere

videtur. Quod aetatem attinet, casibus quibusdam exceptis, pueri ex sexto ad decimum et puellae ex quarto ad decimum sextum annum hoc morbo laborant. Prichard narrat de infante mensium quatuor chorea affecto; alii, ut J. P. Frank, Coste, Bouteille, Andral, Powell, Copland, Maton, choream in aetate virili ac senectute viderunt.

Judaei potissimum huic morbo obnoxii videntur.

»Nec mirum, J. P. Frank inquit, gentem generatim gesticulationibus adsuetam praecipue morbo gesticulatorio obnoxiam esse.«

Causae occasionales sunt animi affectiones, ut ira, terror, timor, zelotypia, diminutio sanguinis et humorum per haemorrhagias varias, per salivationem, diarrhoeam, diaetam nimis parcam, onaniam, per quaelibet remedia evacuantia; praeterea genitalia haud perfecte exculta sexualesque functiones retardatae, vitiosa catamenia, vermes, exanthemata chronica suppressa, refri-

geratio gravior, lapsus in caput pronum, metastases.

Imitatione choream exoriri alii negant, alii, ut Boerhavius et Barez, affirmant.

Secundum Wichmanni et Jahnii observationes tempestas et constitutio aëris singulis annis morbum frequentiorem reddunt, praecipue accelerare potest introitum choreae temperatura humida, frigida; quam ob rem chorea laborantes in locis humidis multo saepius inveniuntur, e. g. in terris maritimis, ubi mutatio tempestatis, aliaeque aëris conditiones morbos chronicos nervosos procreant.

Quomodo illud fiat, nescio; credo autem, illam tempestatem admodum mutabilem minoris esse momenti, nisi aliae res concurrant; quamquam lubentissime concedo, eandem atque loca humida ad producendas neuroses plurimum valere, praesertim cum discrimen temperaturae nocturnae atque diurnae permagnum sit, et citissime temperies externa et humor atmosphaericus immutetur; cum praeterea homines pauperes loca

humida, squalida, solis radiis privata inhabitent, in quibus aër atmosphaericus corruptus virtutibus ad vitam integram servandam plane careat.

DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Chorea perdurat generatim hebdomades sex usque ad menses tres. Individuum quoddam in policlinico Rombergi vidi, quod jam totum per annum hoc malo laborarat, licet multa remedia adhibita essent.

Nonnunquam brevi tempore ante valetudinem integram restitutam diarrhoeae vel menstruatio introiit, si praecipue amenorrhoea aut refrigeratio gravior causae occasionales fuere; quae alienationes materiales ab nonnullis auctoribus crises dicuntur.

Si chorea longissimum temporis spatium perdurat, malum habituale apparet.

Chorea exire potest in maniam, epilepsiam, hysteriam etc. Alienationes materiales secundariae cerebri et medullae spinalis finem lethalem adducunt, et nonnunquam aegroti apoplexia moriuntur.

DIAGNOSIS.

Morbi huic malo similes sunt:

Hysteria. Inquietem musculorum saepe nonnisi hysteriam esse Ill. Schoenlein argumentari voluit, malum quod hysteriam muscularem dicit.

In utroque morbo convulsiones, motus spastici varii generis videntur et symptomata certa non exstant, quibus mala utraque differant. Hysteria interim gradum altissimum choreae St. Viti majoris non attingit, in quo aegroti animo alieno saltant et meteorismus adest.

Epilepsia. Convulsiones in utroque morbo multa similia, multa dissimilia ostendunt.

Epilepsia uno quasi ictu aegrotum adoritur et paullo post spasmis miris, vehementissimis clonicis et tonicis concutit; manent enim musculi nonnulli contracti, e. g. pollicum flexores, quo haec membra in volas manuum invertuntur; membra dextri aut sinistri, saepissime autem utriusque lateris, una cum capite motu

haud interrupto convelluntur; dum artus modo flectuntur, modo extenduntur, modo autrorsum, modo retrorsum, modo denique sursum raptu velocissimo projiciuntur, modo corpus in orbem movetur, spuma ori insidente. Motus spastici nonnunquam tam vehementes fiunt, ut ossium fracturas efficiant; quisque adstantium hominem epilepticum crudelissime distortum adspiciens, summa misericordia commovetur.

In chorea tantum motus clonici adsunt, iique non totum corpus simul corripiunt, sed plerumque vicissim partes alterutrius lateris spasmis agitantur, alterius lateris partibus integris, ita ut quasi totum corpus spasmi pervagentur, nunquam tamen tam atroces fiant, ut ossium fracturas efficiant. In leviore gradu choreae functiones sensuum plane incolumes sunt, in majore gradu non raro turbatae.

In chorea rarissime aura observata est, interdum insultum epilepticum sensus quidam, aura epileptica dicta, antecedit. Aegroti sensationem aëris frigidi habent in digitis manus aut pedis,

quae ad caput adscendit et cerebro tacto, insultus epilepticus subito oritur.

Paralysis agitans differt a chorea praecipue origine morbi.

Chorea, ut jam dixi, plerumque in aetate puerili obvenit, interdum paralysis agitans in aetate virili saepius, saepissime in senectute apparet. In paralysi agitante tremulatio adest, innervationis defectae causa; in chorea motus spasticus.

Raphania. Non facile utriusque morbi symptomata confundi posse credo.

Omnibus anni temporibus chorea oriri potest, raphania contrario peracta messe secalis cerealis.

Chorea homines cujusvis aetatis non invadit; sexus sequior plurimum hoc malo corripitur; raphania autem in quavis aetate, et in infantili et in senili apparet.

Raphania signum pathognomonicum, scilicet formicationem secum fert, quae nunquam in chorea invenitur. Ille sensus formicationis quoque

in corpore sano nervi compressione, ad carpum aut tarsum decurrentis, provocari potest. Si hic quoque in lingua raphania vigente oritur, valde est dolorificus. Talis formicationis sensus etiam in morbo quodam Indico »Beriberi« vocato obvenit.

In gradu maximo Galli et Helvetii gangraenam extremitatum observaverunt, id quod nunquam in chorea reperitur: sed tantum debilitas quaedam aegroto restituto per quoddam tempus remanet.

PROGNOSIS.

Prognosis generatim bona habetur, quamquam tempus et morbi et paroxysmorum, causae et complicationes ad prognosin maximi sunt momenti. Optima est, si chorea in evolutione oritur et amenorrhoea causa occasionalis est; si chorea sine complicatione obvenit. Prognosis pejor existit, quando chorea complicata est cum aliis morbis acutis; pessima, quum animus turbatus et onania causae sunt occasionales.

Inquies musculorum facilius curatur quam chorea St. Viti major et tarantismus, praesertim his cum mania, epilepsia, febri hectica, tabe dorsali complicatis, si intermissiones modo breves sunt, paroxysmi autem vehementissimi, malumque ipsum jam per longius temporis spatium pertractum, prognosis redditur ambigua, quia non prius valetudo bona reverti potest, quam causis plane sublatis, quoniam complicationes remediis nondum devictae spem irritam reddere solent.

THERAPIA.

Indicatio causalis omnia ea vitari jubet, quae supra causas occasionales memoravimus.

Medicamentorum numerus adversus choream catalogo pleno materiae medicae similis est, et Rufz ea ratione dicit, ingentem numerum remediorum argumentari, morbum omnibus iis remediis curandum esse.

Talia igitur remedia sunt:

1° Purgantia. Sydenham, Basseville, Whytt, Armstrong et alii auctores hanc methodum defendunt.

Purgantia sane remedia optima sunt curae initio et praecipue effectum bonum habent in complicatione cum helminthiasi.

Sydenham curam semper incipiebat venaesectione unciarum octo, tales venaesectiones quatuor satis esse ratus.

Clutterbock nil nisi venaesectionem adhibebat.

Pariter Bouteille, Georget, Serres et Lisfranc pro venaesectione modica aut applicatione hirudinum propugnant.

2°. Ad curam specificam remedia sedativa, nervina et tonica advocantur, uti

a. Balnea

α. Balnea, quibus sulphur contentum est. Baudelocque primum haec balnea commendabat.

Secundum Rufz haec cura circiter dies viginti et quatuor protrahatur, et rarissime pluribus quam decem ad duodecim balneis utendum.

β. Balneorum frigidorum, quae Dupuytren commendat, etiam multi defensores inve-

niuntur, veluti Monro, Petit, C. Rust, alii. Superfusiones aquae frigidae fortasse maximi momenti in hujus morbi cura sunt.

b. Tonica. Ferrum in multis morbis utile, non mirum, quod etiam in chorea maximi est momenti. Hujus metalli praeparatis praecipue utimur, quando morbus a dissolutione sanguinis ortus est. Ferrum carbonicum plerumque adhibetur.

China etiam nomen quasi specificum obtinet.

c. Nervina. Adversus hunc morbum radix valerianae, artemisia, asa foetida, moschus, camphora, castoreum, oleum Dippelii, herba chenopodii ambrosioidis, folia aurantiorum et multa alia remedia adhibita sunt. Electricitatem ab Han, Fothergill, Baumes et aliis, galvanopuncturam praecipue a Meyrieux commendatam ignorare non licet.

Narcoticis, ut belladonna, opio, digitali purpurea, acido hydrocyanico, strychnino et veratrino saepe utuntur. Unguentum tartari emetici

et alia vesicantia aut revulsiva haud raro utilia sunt.

Si respexeris omnes methodos adhibitas, videbis, nonnunquam perpaucis remediis idoneo tempore administratis plus effici posse quam permultis remediis non bene applicatis; ut remedia heroica vitentur, omnino praemonendum est.

Ad finem dissertationis adgresso mihi liceat de descriptione quadam choreae mentionem facere, quae exstat in J. Pistorii rerum familiarumque Belgicarum chronico magno. Frank. 1654. De chorisantibus:

»Item anno Dn. 1374, tempore pontificatus venerabilis Domini Joannis de Arckel, Episcopi Leodinensis, in mense Julio in crastino divisionis apostolorum visi sunt dansatores scilicet chorisantes, qui postea venerunt Trajectum, Leodium, Tungrim et alia loca istarum partium in mense Septembri. Et coepit haec daemoniaca pestis vexare in dictis locis et circumvicinis masculos et foeminas maxime pauperes

et levis opinionis ad magnum omnium terrorem; pauci clericorum vel divitum sunt vexati. Serta in capitibus gestabant, circa ventrem mappa cum baculo se stringebant circum umbilicum, ubi post saltationem cadentes nimium torquebantur, et ne creparentur pedibus conculcabantur, vel contra creporem cum baculo ad mappam duriter se ligabant, vel cum pugno se trudi faciebant, rostra calceorum aliqui clamabant se abhorrere, unde in Leodio fieri tunc vetabantur. Ecclesias chorisando occupabant, et crescebant numerose de mense Septembri et Octobri, processiones fiebant ubique, litaniae et missae speciales. Leodii apud sanctam crucem scholaris servitor in vesperis dedicationis coepit ludere cum thuribulo et post vesperes fortiter saltare. Evocatus a pluribus, ut diceret Pater noster, noluit, et Credo, respondit, in diabolum. Quod videns capellanus, allata stola conjuravit eum per exorcismum baptizandorum, et statim dixit: Ecce, inquit, scholaris recedit cum parva toga et calceis rostratis. Dic, tunc inquit, Pater noster et Credo.

At ille utrumque dixit perfecte et curatus est. Apud Harstallium uno mane ante omnium Sanctorum multi eorum ibi congregati consilium habuerunt, ut pariter venientes omnes canonicos, presbyteres et clericos Leodienses occiderent. Canonicus quidam parvae mensae minister Simon in claustro Leodiensi apud capellam Beatae virginis, in Deo confortatus, scalam projecit in collum unius, dicens Evangelium: In principio erat verbum, super caput ejus, et per hoc fuit liberatus, et pro miraculo statim fuit pulsatum. Apud S. Bartholomaeum Leodii, praesentibus multis, cuidam alii exorcisanti respondit daemon: Ego exibo libenter. Expecta, inquit presbyter, volo tibi loqui. Et postquam aliquos alios curasset, dixit illi, loquere tu personaliter et responde mihi. Tum solus respondit daemon: Nos eramus duo, sed socius meus nequior me, ante me exivit, habui tot patres in hoc corpore, si essem extra, nunquam intrarem in corpus Christianum. Cui presbyter: Quare intrasti corpora talium personarum? respondit: clerici et presby-

teres dicunt tot pulchra verba et tot orationes, ut non possemus intrare corpora ipsorum. Si adhuc fuisset exspectatum per quindenam vel mensem, nos intrassemus corpora divitum, et postea principum et sic per eos destruxissemus clerum. Et haec fuerunt ibi a multis audita et postea a multis narrata. Haec pestis intra annum satis invaluit, sed postea per tres aut quatuor annos omnino cessavit.

VITA.

Joannes Adolphus Carolus de Königslöw, Surinamensis, anno MDCCCXXII natus sum patre Daniele Sigismundo, matre Maria e gente Bennernagel, quos utrosque Deus optimus, maximus ut perdiu incolumes mihi conservet, intimo ex animo precor. Fidei evangelicae addictus sum. Postquam annos novem scholam Batavam frequentaveram, Amstelodami civium academicorum numero adscriptus sum.

In litteris medicis me instituerunt: Cl. W. Vrolik in physiologia, anatomia hominum, anatomia pathologica, zoologia; Cel. Swart in chemia atque physica; Cel. de Vriese in botanice; Cel. van der Breggen, jam defunctus, in pathologia generali. Anno MDCCCXLII Universitatem hanc Berolinensem petii et ab Ill. de Raumer, t. t. rectore magnifico, in civium

academicorum numerum receptus, hasce frequentavi praelectiones: Ill. Wagner de medicina forensi; Ill. Schoenlein de pathologia speciali; Cel. Troschel de chirurgia et arte fascias applicandi; Exp. Schoeller de arte obstetricia; Ill. Hecker de antiquioris medicinae historia; Exp. Boehm repetitorium chirurgicum. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui Illustrissimorum virorum Wolff, Juengken, Truestedt, Romberg, Busch.

Omnibus his viris, de me summopere meritis, maximas quas possum gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, fore spero, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Acarus scabiei aut nulla aut certe non sola est contagii scabiei causa.
2. Lithotomiam multo meliorem superioremque lithotripsia esse contendo.
3. Scirrhi ineuntis cognitio nos fugit.
4. Conceptio persistente uteri scirrho fieri potest.
5. Gastromalacia nunquam sanata est.
6. Medico licet mentiri.